

Autor hic se magis Cartesii quam Christi discipulum ostenderit. Oportet olfactum interiorum valde corruptum esse, cui etiam oleta Cartesii thus olent, & visum, cui turpes simiæ catuli admodum formosi & amabiles videntur.

X. Si cum Scriptura Autor noster fuisset loquutus, quæ Deum ait indere spiritum mendacii ori pseudoprophetarum 1. Reg. 22. 22. 23. decipere pseudoprophetas, ut illud *Exech. 14. 9.* interpretatur Græca & Latina versio vulgata; item decipere populum impium & hypocritam, idque sensu Scripturæ intellexisset & explicasset; nemo ipsi de phrasi litem movere potuisset; quomodo D. Labadius in *Censura* ait, Deum voluisse & jussisse pellici Achabum & prophetis Achabi indidisse spiritum mendacii, ut tamen imbecillitatis animi nullatenus insimulandus esset, & sic vult improprie Deum & velle & posse fallere: aut si proprie significationi inhærens aperte negasset Deum velle aut posse fallere; quomodo D. Labadius, cum hac significatione urgeretur. rectè dixit ac sustinuit, non posse fallere Deum; & addidisset planis verbis, esse in Deo summa intelligentiæ vim ac potentiam, quibus facultatibus improbi & fallaces homines ac spiritus, ad homines fallendos & in errorem inducendos, abutantur: nemo sententia vera & phrasi pura offendi potuisset.

XL Nunc autem, ubi de veritate & sinceritate Dei in verbo ipsius agitur, & dictum erat Deum non fallere; ac dicendum, eum nec velle nec posse fallere: quorsum, nisi ad vanam argutiæ ostentationem, & lectorum offensionem, attinebat phrasi, profanitatem & impietatem spirante, subjungere hanc ex Cartesio quasi singulariter notabilem & memorabilem observationem: Dico nolle Deum fallere, ut ne credatis non posse si velit; & injicere animo legentis cogitationem quasi rei bene notandæ & credendæ; etsi Deus nolit fallere, quod tamen possit fallere, & solam voluntatem obstare, quo minus nos actu fallat, & hanc fallendi potentiam in actum deducat. Quasi verò Dei sapientia & potentia non æquè sancta perfecta ab omni consortio fraudis & peccati aliena sit, quam voluntas? Imò posito casu impossibili, Deum velle fallere adhuc non posset fallere. Quia executio fallaciæ volitæ, per sapientiam & potentiam, est ulterior peccati malitiæ & turpitudinis gradus, quam simplex volitio.